

poribus antiquissimis pecuniam et aes signatum non habentes (Seruius namque Rex primum aes signavit nota pecudum, unde et pecunia appellata, conf. BVDÆVS *de asse Lib. I. et II.* nec non GRONOVIVS *de pecunia veterum*) aere utebantur rudi, et per consequens venditionum pretia non adnumerabant, sed adpendebant, PLINIUS *loc. cit.* FESTVS *L. IV. et XIV.* VARRO *de lingua Latina L. IV.* Familiae mancipationem sequebatur testamenti nuncupatio, qua testator tabulas testamenti tenens, ita dicebat: HÆC VTI IN HIS TABVLIS CERISVE SCRIPTA SVNT, ITA DO, ITA LEGO, ITA TESTOR, ITAQUE VOS QVIRITES TESTIMONIVM PRÆBITOTE, vid. VLP IANVS *Fragm. XX. 9.* ISIDORVS *Orig. IV. 24.* CLEMENS ALEXANDR. *Stromat. V. 574.* Vtrumque tam familiae mancipatio quam nuncupatio testamenti desuper fieri debebat coram quinque testibus, VLP IANVS *loc. cit. §. I. Inst. de Test. ord.* populum Romanum in comitiis, in quibus olim testamenta fiebant, repraesentantibus. Atque hi quinque testes, qui simul cum libripente et familiae emtore in testamentis per aes et libram olim adhibendi erant, originem dedisse videntur numero septenario testium, in testamentis hodiernum vsitato.

IV.

Cur autem quinque praecise personis comitia et populus Romanus repraesentata fuerint, hanc vulgo subesse dicunt rationem, quod populus Romanus a Servio Tullio in V. classes fuerit diuisus, et secundum hasce classes in comitiis calatis suffragia dedisset. vid. B. THOMASIVS *l. c. §. II.* HVBER *Digress. P. I. L. IV. cap. 32.* Est quidem non penitus improbabilis ista sententia, suis tamen